



Disputatio juridica inauguralis de postulando

<https://hdl.handle.net/1874/345139>

9.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
POSTULANDO,
FAVENTE DEO TERTI OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JACOBI VALLAN,
M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit
NICOLAUS BOEYE, ZIRIZEA-ZELAND.
Ad diem 11. Maii hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clc lcc xcii.

Gravissimo ac Consultissimo
V I R O
D. D. B E N J A M I N
à C R O M S T R I E N , J. U. D.
coram Utraque Hollandiæ
curia Patrono causarum , di-
fertissimo , eruditissimo , Stu-
diorum meorum Directori be-
nevolo , avunculo dilectissi-
mo , Plurimum Honorando.

*Hasce mei Studii primitias ,
juxta me ipsum.*

D. D. D.

NICOLAUS BOEYE , Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
POSTULANDO.

THESIS I.

Quoniam natura ipsa præscripsit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit. *Cic. offic. lib. 3.* atque nulla in hominum genere natura melior, quam eorum, qui se natos ad homines servandos arbitrantur. *Idem Tuscul. rectissimè jam olim in judicio defensiones pro causis aliorum suscepτæ sunt, crebris in foro postulationibus. Est autem postulare, desiderium suum vel amici apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desideriis contradicere l. i. §. 2. ff. b. t.*

A 2

II.

4 DISPUTATIO JURIDICA

II.

Exponere sui vel amici desiderium, pertinet tum ad reos ipsos, tum ad eorum advocatos: *desiderium suum exponunt Rei i. e. primarii litigantes*, qui suo nomine agunt, & experiuntur. *Pollet. hist. For. Rom. lib. 2. c. 1.* Amici vero desiderium qui expoununt Advocati dicuntur, qui reis litigantibus præsentiam suam commodant, vel jus suggerunt; quorum hi propriō nomine *Pragmaticorum*, illi Advocatorum veniunt. Cic. pro Quintio.

III.

Apud eum qui Jurisdictioni præest, i. e. coram Prætore, locum enim postulationi competentem Prætoris tribunal dabat quippe cui causarum notio jure Magistratus competebat, atque prætor Jurisdictionem suō jure, non alienō beneficiō habebat. *l. 5. ff. de Jurisd.*

IV.

Postulare autem possunt omnes, qui non prohibentur, atque olim quilibet tam in sua, quam alterius causa postulabat, & Advocati esse poterant, qui cunque gestiebant etiam Fæminæ *arg. S. 5. l. 1. ff. b. t.* donec postea de jure respondendi facultas peti cœpit, atque Leo Imperator neminem Advocatorum numero adscribi voluit, quam qui ad id suæ eruditio-

teste-

INAUGURALIS.

testimonium accepisset. l. 11. C. de Adv. divers.
jud. 7.

V.

Prohibentur autem postulare quidam, Edicto Praetoris, quidam lege, quidam sententia. Ex Edicto quibusdam plane interdicitur postulatio aliis pro parte. In totum prohibentur minores nondum impletis decem, & septem annis. d. l. 1. §. 3 ff. b. t. quo colligimus hac ætate majores, cum insigniri possint titulo Jurisconsulti, à postulando quoque non amoveri, cum hac ætate Nerva Filius de jure responsitaverit d. l. 1. §. 3, similitè etiam planè arcentur Furiosi, mente capti, atque surdi. d. l. 1. d. §. 3.

VI.

Qui pro parte prohibentur, vel pro se tantum, posse sunt postulare, vel etiam pro personis conjunctis, Pro se tantum postulant insigniter infames, cæci, & mulieres. d. l. 1. §. 5. ff. b. t. Fæminis interdicitur pro aliis postulare, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, & ad pessimum Improbissimæ Carfaniæ exemplum inverecundè postulantes Magistratum inquietent d. §. 5. l. 1. cæci ideo prohibentur, quod insignia Magistratus videre, & consequenter revereri non possint *ibid* personæ Iverò turpitudine notabiles, quod Advocati munus sit honorabile magis, quam quod earum sordibus inquinari debeat. l. 14. C. de Adv. div. jud. 7.

A 3

VII.

6 DISPUTATIO JURIDICA

VII.

Pro se, & personis sanguine, atque reverentia conjunctis (quales sunt parentes, liberi, fratres, uxores, patroni) postulare licet his, qui vulgariter infames sunt *d.l. i. §. 8. b.t.*

VIII.

Lege prohibentur postulare judei, pagani, & generaliter omnes, qui mysteriis sacrofancæ ecclesiæ non sunt imbuti *l. ult. C. de postul.* præterea judices & arbitri in causa iis commissa, *l. 6. pr. C. eod.* similiter patroni, qui de substantia (vulgo de quota litis) cum clientibus pacti sunt *l. 5. C. eod.* aut aliud pactum, quo vexent alios iniverunt, *d.l. 6. §. 2.* denique potentiores *l. 1. Et t.t. C. nè lic. potent.*

I X.

Sententia prohibentur, quibus vel in totum vel pro parte advocationibus est interdictum, ad tempus sc. vel in perpetuum *l. 8. D. b.t.* his tamen consulendò, scribendò partibus inservire licet, modo hoc faciant extra judicium; quin etiam extra jurisdictionem judicis qui interdixit, postulare possunt, dummodò causa talis sit ut neque prætoriam neque legalem prohibitionem secum trahat, quippe quæ ubique postulare volentibus obstat, *l. 9. ff. eod.*

INAUGURALIS.

7

X.

Discussis igitur his qui postulare prohibentur, sequitur omnes eos, quibus hoc interdictum non est, ad postulandum admitti; sed licet hoc omnibus, permisum fuerit, jam olim tamen juris callidi adhibebantur; sed Patroni ab Advocatis differebant, oratores enim tota urbe nobilissimi viri patrocinabantur. *Quos penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.* Donec sub Cæsaribus eloquentia forensis obsoletavit, & à solis jurisconsultis patrocinandi munus usurpari cœpit, *vid. Dial. de corrupt. eloq.* non quod dicendo deerant decora ingenia; sed ne forsan dicentium autoritas, & admiratio nimium suscepta in detrimentum Cæsareæ existimationis vergeret. Postea Advocatorum munus, patronorumque idem & unum fuit, quorum itaque proprium erat postulare. *Tit. C. de Adv. divers. jud.*

XI.

Officium igitur Advocatorum uti publicum, ita etiam necessarium est, *l. 4. C. de Adv. divers. jud. 8.* Advocati enim, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis fatigata reparant, lapsa erigunt, non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. *l. 14. C. eod. 7.* Debent autem patrocinari, integrè, modestè, ac prudenter.

XII.

8 DISPUTATIO JURIDICA

XII.

Integritas consistit in eo, ne causam, quam sciunt esse improbam, suscipiant. *I. 14. §. 1. C. de judic.* nec bonam malis artibus tueantur: unde olim in singulis instantiis jurare tenebantur, quod causam non improbam defendendam suscepissent, & suscep tam, si in progressu viderent improbam, desererent. *tit. C. de jurej. propt. calum.* Integritas comprehendit quoque fidelitatem, id est, ne prævaricentur, *I. 1. §. 1. de prævaric.* ne pactis de quota litis inhient. *I. 6. §. 2. C. de postul.* sunt enim talia contra bonos mores, *I. 53. ff. de paet.* & causidicis malitiosè litigandi occasionem præbent, atque artibus malis, mendaciisque utendi spe uberioris quaestus, nihil enim est tam sanctum quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit. *Cic. Orat. 2. in Verr.* & licet boni nullò emolumento impellantur in fraudem, improbi certè parvò *idem in Orat. pro Mil.* Causam tamen minus probabilem Advocatus non tenetur statim rejicere, aut suscep tam deserere, cum id, quod probabilius appetat, non semper sit verius, & contingat sententiam à pluribus aut communiter receptam, non esse veriorem; quare judicis quidem est in causis semper verum sequi, patroni nonnunquam verisimile, etiamsi minus verum sit, defendere. *idem Cic. offic. lib. 1.*

XIII.

Modestia Advocatorum hoc caput est, ne maledictis,

dictis, aut convitiis extra causam griffentur, est enim Advocati omittere cavillationes. *l. 6. in fin. C. b. t.* qui-que probris certaverit, infamiæ notam incurret. *d. l. 6. §. 1.* non enim (ultra quam litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi prorum-pent. *ibid.*

XIV.

Dein prudenter agant Advocati, bene scilicet ad-vertentes, in quo articulo cardo totius causæ vertatur, eoque juris, & facti probationes nervosè dirigant oratione brevi, & clarâ, nihilque, ad causæ defensio-nem pertinens omittant, cum omnes eorum actiones vacare debeant temeritate, & negligentia, nec verò agere quicquam, cuius non possint causam probabi-lem reddere. *C. lib. I. offic.*

X V.

Præterea diligentes sint, nam si contra fecerint, & cliens lœdatur, conveniuntur ex lege Aquila. *arg. l. 8. §. 1. ff. de leg. Aquil.* etiam non licet Advocatis te-mere abesse foro, neque ultra triennium, *l. 7. §. 2. C. de Advo. div. jud. 8.* non possunt litigantibus patro-cinium denegare, nisi velint carere foro. *l. pen. C. de postul.* reliquum Advocati officium è singulis judicii partibus collendum.

B

XVI.

XVI.

Ubi in aliquo erravit Advocatus, si præsentibus litium dominis allegaverit, ratum est, nisi ipsi domini contradixerint, aut cis triduum appellaverint, l. i. § 3. C. de err. *Advoc.* ubi verò alleganda non allegaverit, nullus dubito quin judex sit suppleturus, quod legibus, & juri publico scit convenire l. un. C. ut. qnæ def. *Adv. part. jud. suppl.*

XVII.

Et siquidem pretiò nummariò de honestanda non sit jurisprudentia, l. i. §. 5. ff. de extraord. cogn. tamen modicum solatium præstare iis, qui utilissimam operam conferunt, oportet; ideo honorarium Advocatis debetur, licet incertum, aut nihil promissum sit, d. l. i. §. 10. & tunc quantitatem ejus determinat judex. d. §. 10. l. i. ita tamen ut neque partibus neque judicii excedere liceat summam centum aureorum, d. §. 10. Petitur autem honorarium, vel actione ex stipulatu, vel extraordinaria cognitione, vel implorato judicis officio, d. l. i. §. 10. § 12.

XVIII.

Insuper privilegia Advocatorum amplissima sunt sc. primò salarium eorum cedit quasi castrensi peculio l. 8. C. de *Adv. div. jud.* 7. neque cogi possunt ad suscipienda munera fordida, veluti functiones Provinciales, l. 3. C. eod. 7. seniò confecti dignitatem clarissimi

I N A U G U R A L I S.

11

rissimi ordinis in fructum præteriorum laborum consequuntur l. i. C. eod. 8. eorumque filii gratis in hoc officio aliis præferuntur, l. ii. §. i. C. eod. 7.

XIX.

Differentia Advocatorum à Procuratoribus præcipua est, quod Advocatus precibus à cliente adiri debet, solumque patrocinium præstet munere admundum honorabili. l. 14. C. de Adv. div. jud. 7.

XX.

Dein Procurator constituitur mandato domini, & ipse lite contestatā fit dominus litis, in quem etiam sententia fertur, atque multò eorum munus vilius est, quippe à quo ne infames quidem excluduntur §. ult.
Inst. de except.



B 2

CO-

Э И Т

COROLLARIA.

I.

*Bona fidei possessor fructus omnes, tam na-
turales, quam industriaes percipiendo
suos facit.*

II.

*In transactione beneficio l. 2. C. de resc.
Vend. locus non est.*

III.

*Prorogatio jurisdictionis de loco ad locum,
et de tempore ad tempus, ex ratione
juris nostri defendi nequit.*

IV.

*Is qui credidit ad refectionem navis ta-
citum pignus non habet.*

FINIS.